

PRÆFATIO GENERALIS  
IN TOMUM QUINTUM  
EDITIONIS HUIJUS NOVÆ  
OPERUM

Sancto Hieronymo falso adscriptorum cum in Editis, tum in MSS. Libris.

**F**INITA tandem cunctorum operum genuinorum sancti Hieronymi nova nostra editio-  
ne Parisina, ad falsos ac spurios Libros, aliaque opuscula supposititia manum misimus;  
non equidem animo propenso, sed necessitate quadam compulsi; ne scilicet quid Operum  
amplius habere viderentur editiones veteres, quam hodierna nostra, tanto labore prepara-  
ta, tot hominum injuriis vexata, tot denique numinis faventis irrorata beneficiis, Christi-  
que Domini munita praesidiis & adulta.

Neque verò, ut iniquos præteream hominum conatus, simul opem cœlitus nobis atque  
benevolentiam præstitam dissimulare possumus. Quid enim in decurso Editionis nostræ lon-  
go spatio mihi non contulit Deus optimus maximus? Tumentes initio populos quasi fluctus  
maris confragosi, & concitatam ab æmulis tempestatem, odiumque compescuit nostri,  
quando inclamans eum dixi: *Domine salva nos, perimus*. Ex magno jam timore quum me  
recreasset, nova eaque quotidiana Typographorum aut Bibliopolarum impedimenta & in-  
commoda Hieronymo nostro supervenerunt: quibus animus meus offensus tanto tædio  
affectus sum, ut penè discederem, penè desperarem. Quid plura? fractus laboris &  
angustiarum pondere, incidi in morbum periculosissimum, & cœpi tormentum calculi  
& amaritudinem urinæ sustinere. Graviora hæc erant vesicæ tormenta, periculosior morbus,  
infirmior valetudo, quam ut sperare possem è tantis me aliquando vitæ ac spiritus pericu-  
lis eruendum, atque in meliorem statum restituendam corporis sanitatem. Verum jamjam  
morti proximus & tumulo mox componendus, audivi clamantem Jesum: *Martianæ veni  
foras*. Avulso enim è corpore manu doctissimi chirurgi humore in lapidem exsiccato, redi-  
vivum me præstitit, & liberum abire præcepit. Divino sic munere convalescens, solita sta-  
tim repetere studia curavi: mihi verò ita in illis opitulatus est Christus, ut intra biennium  
duo maxima volumina Operum S. Hieronymi edita Ecclesiæ procurarim; vitam quoque  
eiusdem sanctissimi Doctoris vernaculo sermone conscriptam, in pulchro volumine pariter  
typis vulgaverim. Quod incredibile dictu fuisse ante perfecta hujusmodi opera Hieronymia-  
na; nunc factu facile videtur post absolutam quinque Tomorum editionem novam. Junga-  
mus igitur preces, studiosi lectores, gratias acturi Deo omnium bonorum largitori, qui nos  
currere voluit, & ad bravium propositi perduxit victores & incolumes.

Jam quid novi ferat Tomus iste quintus operum alienorum vel supposititiorum, paucis  
sermonibus enarrabo. Vitam primùm S. Hieronymi ab anonymo conscriptam antiquissi-  
mo edendam putavi: quia nihil est in ea quod falsa miracula recentiorum Auctorum, vel  
imperitas pictorum imagines renuntiet, & ansam erroris præbeat. Unde Vitam illam sive  
historicam narrationem curiosius edidi cum variis lectionibus Manuscriptorum codicum,  
quorum non minimam copiam habui è nobilioribus Ecclesiis, & Monasteriis nostris. Post  
Vitæ varias lectiones subjeci testimonium Severi Sulpitii de S. Hieronymo, ut hoc Auctore  
coætaneo discant erubescere nuperi Scriptores multa confingentes falsa de indole & inge-  
nio sanctissimi Ecclesiæ Doctoris.

Præter istud testimonium, novum Gennadium de viris illustribus tradidi studiosis, &  
quidem è vetustissimo codice Corbeiensi ante mille annos exarato; in eo namque tot sunt

## Præfatio Generalis.

variantes lectiones cum editis libris, ut scire nobis liceat verum Gennadium & incorruptum nunquam comparuisse ante ætatem nostram. A quo autem fuerit antiquitus depravatus Gennadii Liber de viris illustribus, facilis & proclivis est conjectura è quattuor aut quinque capitulis ejusdem opusculi. Nam quæ in reprehensionem S. Augustini dicuntur in editis libris nusquam leguntur in codice Manuscripto; etsi plura retineat quæ in antea vulgatis desiderantur. Similiter de sancto Prospero non pauca in editis suppressa sunt, quæ in Manuscripto curiosissimè retinentur. Hinc judicium habere possumus de aliquo Pelagiano corruptore Gennadii; nisi è contrario non nemo repertus fuerit, qui doctissimi hominis nomen suis erroribus præterens, vitiatum penitus atque depravatum asserat codicem nostrum Manuscriptum. Id ego difficillimè mihi persuadere possum; cum propter vetustissimum codicem, tum propter imperitiam exscriptoris, qui sæpius solæcisimos admiscet, & sese omnium artium rudem prodit ac Latinitatis imperitissimum. Sed ut liberum sit Eruditorum hac de re judicium, exempla propono variarum lectionum, quibus mecum sentire, vel à sententia mea discedere cogentur.

### DE SANCTO AUGUSTINO.

#### CODEx MS.

Augustinus discipulus beati Ambrosii, ypone regis Africae oppidi Episcopus..... Quanto ille scripsit? Edidit jam senex quos juvenis..... Edidit pietatem. Resurrectionem etiam mortuorum simile currit sinceritate, egregio ingenio, & scellenti studio Ecclesie serviens. Juliani hæretici libris inter impetum obsidentium Wandalorum, in ipso dierum suorum sine respondit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus.

#### EDITI LIBRI.

Augustinus Afer, Hipponensis oppidi Episcopus..... quanto ille scripsit? Unde & multa loquenti accidit quod dixit per Salomonem Spiritus Sanctus: *Ex multiloquio non effugies peccatum.* Edidit tamen senex, quod juvenis..... edidit pietatem. De resurrectione mortuorum, etiam simili currit sinceritate: licet minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit. Error tamen illius sermone multo, ut superius dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus necdum hæresis quæstionem dedit.

### DE SANCTO PROSPERO.

Prosper homo Aquitanie regionis, consiliarius Papæ Leonis, sermone &c.

Sibi inveniuntur contraria. Hic etiam Prosper post obitum beati Augustini librorum ejus contra hæreticos inimicos gratiæ Christi defensor extetit. Epistula quoque Papæ Leonis.

Prosper homo Aquitanie regionis, sermone &c.

Sibi inveniuntur contraria. Epistola quoque Papæ Leonis.

Ex hujusmodi variarum lectionum contentione exploratum nobis est multa in editis libris iniquè dicta de sancto Augustino non legi in vetustissimo exemplari nostro Gennadii Massiliensis: multa pariter in codice MS. retenta, quæ non invidiam, sed gloriam Augustino pariant; sicut quod discipulus fuerit beati Ambrosii; quod egregio ingenio, & excellenti studio Ecclesie Christi servire meruerit; quod denique libris Juliani hæretici inter impetum obsidentium Wandalorum respondere, & sic fidem suam consignare potuerit doctor invictissimus. Unde ergo in editis libros irreperit garrulitatis insimulatio adversus Augustinum, minus compertum habemus, ut antea dicebam, nisi tanta in varietate librorum subodorem fraudem & corruptelam alicujus Pelagiani Augustinum infamantis. Quod & de Prospero similiter dicendum putamus; quia in editis libris altum est silentium circa ea quæ Prospero honori tribuuntur in exemplari Manuscripto, hoc est, quod fuerit Consiliarius Papæ Leonis, defensorque extiterit Augustini adversus Hæreticos inimicos gratiæ Christi.

Plurima his similia colligere poterit lector curiosus, ex contentione MS. codicis nostri cum libris editis; nec non antiquitatis vestigia haud pauca perspicere, quibus ubique scater orthographia exemplaris jam dicti, quam ego consultò observandam mihi proposui, ut vetustas ejus atque fides his apicibus comprobata permaneret, absque alia in id genus scriptio-nis statuta disputatione nostra. Legat itaque qui voluerit, & integrum purumque Gennadium Reipublicæ literariæ procurare studeat, si ita cuiquam utilius videbitur. Nos Hieronymianis toti operibus adjuncti, cætera diligentioribus relinquimus, ac eorum studiis uti gaudebimus, si quid in publicam utilitatem nostro labore conferre potuimus ex tantis Gennadii lectionibus variis.

## Præfatio Generalis.

Variantibus Gennadii lectionibus subjeci testimonia veterum de S. Hieronymo, laudesque quibus ingenium ejus ac sanctos mores prosequutus est Desiderius Erasmus: ea scilicet mente atque consilio, ut iniquum cujusdam nuperi Scriptoris & ineptum de sanctissimo Doctore judicium protererem. Non enim historicam ille narrationem Vitæ sancti Hieronymi litteris consignavit; sed Philippicas Demosthenis & Tullii consarcinavit adversus ingenium & mores viri incomparabilis. At, prò dolor! ubi est pietas Christiana quorundam Criticorum hominum nostri temporis, qui in eo se doctos putant, si Patres Ecclesie celebratissimos contemptui habuerint, doctrinæ si non possunt, indoli saltem styloque detraxerint? Sunt hodie pleraque apud studiosos ferocia & indomita ingenia, & ea maximè expertus sum Hieronymo adversantia. Nam quòd sanctus Doctor vitia eorum ac mores insectetur in suis opusculis, talionis illi vicem rependere cupiunt; quumque moribus per omnia probatis sanctisque non possint detrudere; vehementioris ingenii, ac Scriptoris acerbi famam ut inurant Hieronymo, contendunt omni sermone atque virtute. Discant proinde oblocutores illi, quamvis Catholicorum nomine censeantur, Protestantium doctissimos haud paucos consideratius de Hieronymo dixisse, & utilitati in eo Ecclesie providisse, quam nostri Doctores scriptoresque nonnulli, qui Patres convitiis suis proscindunt. Hic pudor, hic dolor est.

Gennadium in hac editione nova excipiunt fallæ quædam Epistola Damasi & Hieronymi, Canones quoque pœnitentiales sancto viro adscripti: quæ opuscula non merito sui, sed novitate potius, & ex veterum consuetudine inter supposititia edere curavi. In Commentariis etiam nova & inedita adjecimus commenta, in quattuor Evangelistas præcipuè, quorum contextus exponere voluit antiquus Auctor qui Strabus creditur. Sed exemplar Manuscriptum tam fœdè depravatum & mendis contaminatum reperi, ut ab eo castigando supersederim, ne oleum operamque in eis impenderem ac perderem incautus.

Denique ut aliquid dignum posteris, gratum pariter ac utile studiosis ederemus, curiosissimam appendicem, quasi auctarium & mantissam, ad calcem voluminis adjeci. Justum enim fuerat, ut inter tot opera falsa vel imperita, vera non pauca prodirent, ad eruditionem lectorum comparata. In gratiam itaque studiosorum & discipulorum Hieronymi, Thefes catervatim in Biblia sacra, disputationes, & alia id genus bene multa curiosis dedicavi. Neque velitationes purè scholasticas quis exercitationes nostras existimet, quòd in nostris dudum ascereris publicè Thefes propugnabantur; ad studia namque divinarum Scripturarum animos addunt, & sacrae intelligentiæ pandunt recessus. Deinde multa secum affert ad communem fructum appendix nostra, quæ nec scholasticis cognita, nec disputationibus eorum ventilata sunt usque in præsens. Similis quidem apparet methodus nostra in Thefeon compositione, Scholaribus disciplinis & consuetudini Gymnasiorum; sed augustioris est considerationis argumentum à nobis pertractatum, & instituta disputatio. Toti sumus & exercemur in Theologia divinarum Scripturarum: quare præludia & Isagogica multa proponimus exempla, quæ conducant ad earum institutionem & intelligentiam. Neque hæc tetrica ratione, sed suavi ac sapientibus congruente pertractamus. Sive enim in præludiis versumur, sive in disputatione majori, aut in criticis observationibus, omnia sic attemperamus, ut lusingando nos agere diceres; quum tamen in omnibus attentè nostro fungamur officio, ne degeneres in quopiam deprehensi studium laboremque nostrum erubescamus.

### §. UNICUS.

#### De aliquot locutionibus Hieronymianis.

Complere non poteram Operum S. Hieronymi editionem novam, omissa pernecessaria intelligentiæ regula de aliquot locutionibus ejus, quæ torquent etiam eruditorum ingenia, quum se parvulum, infantem, vel adolescentem dicit in contextu opusculorum suorum. Itaque ne solito errore Chronologiæ lector vegetetur, meminerit Pythagoricum morem ætatis humanæ computandæ, quem sequutus est Hieronymus. Pythagoras enim apud Diogenem Laërtium de vita & dogmatibus Philosophorum Lib. VIII. Segm. 9. 10. pag. 495. sic definit humanam ætatem: *Puer viginti annos implet; Adolescens viginti; Juvenis viginti; senex viginti*: Sunt autem ætates istæ & anni temporibus accommodatæ; veri puer; ætati adolescens; autumnus juvenis, & hyemi senex. Adolescentem intelligit puberem; juvenem virum.

Huic ætatis partitioni accommodat sese Hieronymus, quum dicit in sua infantia edidisse